



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Dispvatio XCI. De satisfactione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

DISPUTATIO NONAGESIMA P R I M A.

De Satisfactione.

SACRAMENTUM Pœnitentia, licet præcipue ad peccatorum remissionem sit institutum, utpote Sacramentum reconciliationis cum Deo, à quo homo per peccatum avertitur, habet tamen præterea pro effectu suo, saltem secundario, remissionem pœnæ peccatis debita: & quidem aeterna semper tollitur unâ cum culpâ, temporalis verò, alia est in sequenti vitâ solvenda, ut communis habet Patrum & Ecclesiæ consensus, ut fusiùs videre licet in Bellarmino libro quarto de Pœnitentiâ, præsertim capite nono, Valentia, Tannero & aliis. Alia autem est pœna peccatis assignata, etiam in hac vitâ, ut mors peccato originali, aliâq; plurimâ pœna variis ob peccata in Scripturis statuta. De utrâque hic obiter dicendum.

SECTIO PRIMA.

Quomodo satisfaciant Iusti pro pœnâ peccatis remisâ adhuc debita.

I.
Præsentis quaestio procedit de hac vitâ.



SERMO est de hac vitâ, nam in sequente tantum est locus satisfactionis, ut nimirum usque ad ultimum, ut aiunt, quadrantem solvatur pœna peccatis adhuc debita, aliquam autem restare frequenter solvendam certum est, & definitum in Concilio Tridentino sessione decima-quarta, capite octavo: Deus enim remisâ culpâ, & intrinsecâ dignitate ad pœnam, taxat iustus de causis temporalem tum in hac vitâ, tum præcipue in alterâ solvendam, non quod tunc existat peccatum, sed quod extiterit, unde sub eâ conditione illud condonat Deus, ut homo aliquam pœnam luat, quod & Iustitia vindicativa Dei, & recta mundi administratio ac providentia exigat.

II.
Potest homo iustus pro pœnâ temporali peccati remisâ debita, in hac vitâ satisfacere.

Quæres itaque primò: Utrum in hac vitâ possit homo iustus condignè satisfacere pro pœnâ temporali, peccatis remisâ, in alterâ vitâ debita. Respondetur cum communi Theologorum sententiâ posse. Probatur: nam Concilium Tridentinum sessione decima-quarta, capite nono docet nos per temporalia flagella à Deo immissa, & mala hujus mundi patienter tolerata, pœnasque sponte à nobis susceptas, Deo pro

pœnâ peccatis nostris debita satisfacere: & capite octavo easdem conditiones ad hanc satisfactionem requirit, ac alibi requirit ad meritum gratiæ & gloriæ; ergo sicut secundum Concilium meremur de condigno gloriâ, ita & remissionem pœnæ temporalis. Quod argumentum probat, & posse nos pro pœnâ temporali satisfacere, & peccati etiam venialis remissionem mereri: si enim semel concedatur præter præmium essentiale actibus meritoriis debitum, posse nos aliquod aliud præmium accidentale simul mereri, possumus etiam mereri remissionem peccati venialis.

Dices cum Joanne Medina, nos solum de congruo mereri remissionem pœnæ temporalis, & consequenter idem esse dicendum de remissionem peccati venialis. Contra: Concilium eodem planè tenore verborum loquitur de remissionem pœnæ temporalis ac de merito gloriæ; ergo vel nullum habemus fundamentum ex Concilio ad astruendum meritum de condigno gloriæ, vel idem dici poterit de merito remissionis pœnæ, & consequenter etiam peccati venialis.

Dices secundò: Remissionem hujus pœnæ fieri per pœnas in hoc mundo susceptas per modum solutionis. Contra: Nulla planè est portio inter gravissimas pœnas Purgatorii, & pœnas hujus vitæ: quâ de causâ dicere Patres solent, pœnas quas hic patiuntur homines nihil esse, si illis conferantur, & tamen ob malum quantumvis leve, quod quis hic patienter sustinet, tollitur pars aliqua illius pœnæ gravissimæ; ergo non

III.

Obicit. Nos solum de congruo mereri remissionem pœnæ temporalis.

IV.

Nec dici potest pœnas illas alterius vitæ per pœnas hic susceptas solvi.

fit per modum solutionis, quasi aliquid in pena toleretur aequale pena Purgatorii, sed per modum redemptionis ut aiunt, nempe ut aliunde, seu ex praestantia actus compenfetur quod deest in pena.

V. Hoc diversis locis indicat Concilium Tridentinum.

Hoc aperte indicat Concilium Tridentinum locis citatis, dum easdem conditiones ad hanc satisfactionem requirit, ac ad meritum, & in particulari, capite nono requirit ut quis patienter mala illa toleret in hac vita, ergo non malo ipsi quod patitur sed patientiae tribuenda est haec remissio, alioqui non requireretur patientia; si enim hoc fieret per modum merae solutionis, quantumcumque quis impatienter mala hujus mundi toleraret satisfaceret pro pena illa, licet per novum peccatum foret alteri pena huic peccato debita obnoxius, sicut si Deus alicui ob peccatum statueret infligere penam aliquam in hac vita, ut morbum, amissionem bonorum, &c. quantumvis ipse haec impatienter ferat, non tamen restat ei alius morbus, aut aliorum bonorum amissio, licet ob hoc peccatum puniendus sit pena ei debita.

VI. Ostenditur quam conditiones requirantur ad remissionem hujus pena.

Quaeres secundo: Quae conditiones requirantur ad hanc satisfactionem pro pena? Respondetur eandem ac pro merito gratiae & gloriae, nempe ut homo sit in gratia, seu ut loquitur Tridentinum sessione decima-quarta, capite octavo, ut vivat in Christo; in quo, inquit, satisfacimus. Secundo, ut sit actus procedens ex gratia: unde ait Concilium eodem capite: Neque vero ita nostra est satisfactio haec, quam pro peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum JESUM, nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, & cooperante, qui nos confortat, omnia possumus. Tertio, ut procedat a viatore, alioqui cum animae primo instanti separationis a corpore perfectissime sciant suum statum, elicerent statim ferventissimos actus, & vel nullam, vel brevissimam Purgatorii penam paterentur, contra communem sensum Ecclesiae, & praesim fidelium, qui diu post mortem alicujus solent pro eo orare, & anniversarias etiam preces instituire. Quarto, debet esse voluntaria, unde requirit Concilium capite illo nono ut patienter toleremus mala hujus vitae, ad hoc ut satisfaciamus, & in hoc differt satisfactio a pura satisfatione, ut vidimus, in hac quippe non requiritur ejusmodi patientia, seu voluntaria acceptatio.

VII. Verum opus satisfactorium esse debeat penale.

Quaeres tertio: Utrum opus satisfactorium debeat esse penale. P. Vasquez hic, quaestione nonagesima-quarta, articulo primo, dubio quinto negat: quod etiam insinuare videtur Coninck disp. decima, dub. quarto, num. vigesimo-nono. Communis tamen sententia est contraria: ad poenitentiam tamen dicunt sufficere difficultatem illam, quae reperitur in actu quovis honore eliciendo, ratione naturae corruptae, & inclinationis quam habent homines ad ea quae sensibus placent: unde etsi summam quis facilitate, imo voluptate ob passiones jam domitas, virtutem exerceat, dicunt sufficere ad satisfactionem, ac proinde quaestio forte est de nomine, cum dicant nullum omnino elicit actum meritorium in via, qui non sit satisfactorius. Praecipue tamen a Conciliis & Patribus assignantur haec tria opera, oratio, jejunium & elemosyna.

VIII. Obicitur, Tota via actus meritorii

Dices: Non potest idem actus esse simul meritorius gratiae & gloriae & satisfactorius pro pena temporali, nam in merito gloriae impenditur tota ejus vis, ergo: nihil restat, quod im-

pendatur in satisfactione pro pena temporali, vel dicendum minus actum illum mereri gloriae, quam si non esset pena pro qua satisfaciatur. Respondetur: Totam quidem ejus vim impendi in merito gloriae, sed non totaliter, nam tota etiam vis impenditur in satisfactione pro pena temporali, cum vis ejus sit indivisibilis, sicut tota vis ignis impenditur in productione caloris in se, quo tamen non obstante, potest tota etiam impendi in productione lucis, aut siccitatis. Impenditur ergo tota vis actus in merito gloriae, non exhauritur, quare meritum praemii substantialis non obstat quo minus adhuc mereri possit actus aliquod praemium accidentale, & quamvis exhauriatur quoad primum, ita ut non possit majus praemium substantiale mereri, non tamen per hoc praecise exhauritur quoad secundum.

Aliquale exemplum hujus rei habemus in natura; materia prima siquidem, etiam dum sustinet in se formam substantialem, & exhauritur ejus vis respectu illius, ita ut non possit simul aliam substantialem sustentare, non tamen propterea exhauritur in ordine ad formas accidentales, sed has simul cum illa sustinet. Quod hic dicunt Philosophi circa influxum physicum in has perfectiones materiae, dicere possumus nos de influxu morali meriti in praemia. Tantum ergo meretur gloriae actus, quae est perfectio quasi substantialis illius, sicut forma perfectio materiae, ita ut non magis possit meritum connaturaliter habere alium gradum gloriae, & perfectionem substantialem, quam materia aliam formam substantialem: sicut autem haec adhuc potest habere perfectiones alias, seu formas accidentales, ita & meritum plura praemia accidentalia simul cum essentiali.

Non tamen semper in actu pari passu procedunt meritum & satisfactio, meritum siquidem praecipue spectatur secundum excellentiam & perfectionem actus interni, satisfactio autem partim ex majore difficultate per se loquendo, & nisi proveniat ex fociordia, aut malis habitibus per vitiosos actus contractis, partim ex actu externo ut communiter dici solet, saltem occasionaliter; unde docet Concilium nos non per bonos actus tantum quos interiorius elicimus, sed etiam per mala ipsa externa, & flagella a Deo immissa satisfacere, de quo plura Sectione sequente.

SECTIO SECUNDA.

De opere externo in ratione satisfactionis.

Quaeres quarto: Utrum opus externum aliquid addat in ratione satisfactionis supra internum, ita ut caeteris paribus plus satisfaciatur qui plura passus est, esto aequali actu uterque malum acceptaverit. P. Suarez disp. trigesima-septima, sect. septima, ait, licet requiratur ad satisfactionem aliqua voluntaria acceptatio, passivam tamen mali infligendi laesionem aliquid addere in ratione satisfactionis supra praestantiam actus interni, cum Concilium absolute doceat, nos per flagella satisfacere, & in his esse aliquid peculiare magis quam in aliis rebus, caeteris paribus. Idem docet Coninck disp. decima, dub. quarto, numero vigesimo-sexto, & alii, qui consequenter

impenditur in merito gratiae & gloriae, ergo nil restat pro satisfatione.

IX. Res hic alii quo modo explicatur per materiam respectu formam substantialem & accidentalem.

X. Non pari tempore passu procedunt meritum & satisfactio.

I. Verum opus externum in ratione satisfactionis aliquid addat supra actum internum.

consequenter dicunt, si duo actu aequalis intentionis & perfectionis acceptent poenam aliquam, & sola passio externa sit major in uno quam in alio, illum tamen plus satisfacere, qui plus patitur. Qui etiam insinuare idem videntur de peccata durante postquam actus illam acceptans cessavit, licet Suarez disputatione quadragesima octava, sectione octava, id expressè neget, & disputatione 37. sect. 7. num. decimo tertio, dicat nihil in hac re certi judicari à nobis posse, sed divinæ Providentiæ relinquendum: has ergo duas quaestiones quia inter se affines conjungemus.

II. Mihi itaque probabilius videtur quod docet Pater Vasquez hic, quaest. 94. art. primo, dub. septimo, num. nono & decimo, cum aliis nonnullis, videlicet non magis conferre actum externum ad satisfactionem, quam ad meritum; unde ulterius etiam dico, nihil nos satisfacere per poenas externas, nisi quamdiu durat actus voluntatis internæ, per quem denominantur liberè acceptatæ, magis quam meremur per eadem. Ratio est, quia in tantum opus est satisfactorium, in quantum voluntariè quis & liberè illud patitur, cum ergo propriè non sit passio illa libera, nisi quamdiu durat actus liber quo acceptatur, nec erit satisfactoria. Constat primum: Sicut enim quis sciens se in somno solere occidere hominem, eâ intentione tradit se somno, non tamen peccat quando hominem occidit, ita nec in præsentem. Confirmatur secundò: Sicut nullum opus externum in se bonum, in somnis elicatum, est meritorium, ita nec satisfactorium, defectu scilicet actus liberi interni ei coexistentis, licet ex intentione hoc opus præstandi se in iis circumstantiis det somno.

Videò nonnullos afferentes, posse hominem in somno satisfacere, si ante somnum liberè per actum internum opus illud externum acceptaverit, & aliquo modo ex hac acceptatione sequatur: unde, inquirunt, si quis jubeat famulum in elemosynam distribuere magnam aliquam summam pecuniæ, etiam si ille dormiat, dum famulus nummos pauperibus distribuit, adhuc tunc satisfacit, & minus poenæ temporalis ei debetur, quam ante somnum debeatur: quod licet consequenter ad hanc sententiam dicatur, per se tamen videtur incredibile. Certè si aliquis vigilans, licet omnia alia cogitet, ut profundissimo studio absorbeat, aut aliud hujusmodi, satisfaciat dum famulus nummos distribuit, non video cur idem contingere non debeat dormienti, cum quoad elemosynam illam à famulo datam non magis vigilet, quam si dormiret.

III. Dices, affirmare Concilia & Patres, nos per ipsas poenas & flagella externis à Deo immissa, vel ex causis naturalibus & communi rerum cursu evenientia satisfacere, ergo non solis actibus internis hoc est tribuendum. Contra: Etiam dicunt Patres, Concilia, & Scriptura, elemosynam patrefacere cælum, compedes & vexationes, quas pro Deo & iustitiâ quis patitur fabricare coronam in cælis, sanguinem fufum clamare de terrâ, Deum odisse rapinam in holocausto, & alia hujusmodi, ergo meremur etiam & demeremur per actus externos ultra meritum & demeritum actuum interiorum, quod tamen adversarii negant. Respondetur itaque, satisfacere nos per poenas externas quatenus faciunt unum moraliter cum internâ eorum acceptatione, & voluntate patendi.

IV. Dices, si quis ante somnum opus aliquod liberè acceptaverit, opus illud in somno factum, esse satisfactorium.

Obiicit. Afferere Concilia, nos per flagella à Deo immissa satisfacere.

Dices secundò, durum videri ut quando quis diu patitur gravissima tormenta non diutius duret satisfactio quam actus voluntatis, quo quis ea acceptat: si ergo postea, quando cessavit actus, & poena durat, adhuc quis per eam satisfacere poterit etiam eo tempore vel instanti. Respondetur, nos non diutius per poenas satisfacere, quam duret actus internus, per ejus concomitantiam denominantur voluntaria. Ad objectionem autem dico, non debere hoc magis durum videri, quam quòd per poenas illas gravissimas nihil tunc mereamur, sed solum quamdiu durat actus, ut etiam admittunt adversarii. Non tamen nego, quin actus externus conducat aliquo modo ad satisfactionem, tum quia quòd graviores ac diuturniores sunt poenæ subeundæ, eò majus requiritur animi robur, & actus excellentior; tum quia dum poenæ durant, frequenter inde homo occasionem sumit actus illos renovandi, & alios præstantiores exercendi. Si tamen quis diceret, per poenam temporalem in hoc mundo, quasi ex opere operato remitti partem poenæ in purgatorio persolvendæ, hoc non est satisfactio pro poenâ, sicut nec satisfaciunt homines pro peccatis, quæ ipsis in Sacramento, aut per aquam benedictam, & reliqua sacramentalia remittuntur.

Dices tertio: Poenæ sæpè immittuntur ita ab extrinseco, ut non sit in nostrâ potestate eas non pati, ergo non est necessarium, ut nobis sint libera. Distinguo consequens: Ut nobis sint libera, id est ut possimus eas pati, vel non pati, concedo consequentiam, ut non sit necessaria libera nostra earum acceptatio, nego. Et quoad hoc idem est de merito: nam si Deus aliquid Christo præcepisset, determinando omnes circumstantias externas, adhuc potuisset mereri illud faciendo, modò circumstantiæ etiam actus interni non fuissent omnes etiam determinatæ. Nihil ergo obstat libertati requiritæ ad satisfactionem, quòd poena externa non sit in nostrâ potestate, sed necessariò, & ab extrinseco subeunda.

Quæres quintò: Utrum ad satisfactionem requiratur ut sint opera supererogationis, an etiam fieri possit per opera aliâ præcepta. Negant aliqui, posse nos satisfacere per opera præcepta, sed contraria sententia communis est & vera. Probatur primò: Nam alioqui per jejunia, quæ præcipit Ecclesia, nulla fieret satisfactio, contra communem conceptum omnium. Secundò: Quia alioqui Martyres gravissima tormenta, & mortem ipsam pro Fidei defensione patientes, per hæc non satisfacerent, cum teneantur hæc & his graviora, si hujusmodi detur occasio, perpecti.

Dices, non posse nos per idem opus satisfacere duobus titulis. Respondetur, quicquid sit in humanis (licet ibi etiam posse subinde per eandem rem satisfieri duobus titulis ostendimus tractatu de Incarnatione, disput. 43.) aliud hic contingit, cum ut jam probavimus ex Concilio, possit quis præter meritum gratiæ & gloriæ, quod in hoc actu relucet, mereri etiam per illum remissionem poenæ temporalis: & certum apud omnes esse debet nos per observationem mandatorum, & consequenter per opera præcepta mereri gloriam, ergo & per opera præcepta poterimus etiam mereri remissionem poenæ temporalis, seu quod eodém recidit, pro illâ satisfacere.

V. Obiicit. Durum videri, dum quis diu patitur tormenta, cum non diutius satisfacere, quam durat acceptatio.

VI. Obiicit. Unde frequenter ita immittuntur, ut non possimus eas non pati, ergo non sunt nobis libera.

VII. Merito post satisfactio per opera aliâ præcepta.

VIII. Nil obstat quo minus possit quis per idem opus satisfacere duobus titulis.

Quæres

IX. *Deiurnè in hac vita pura satisfactio*

Quæres sextò: Utrum in hoc mundo detur pura satisfactio? Respondetur, respectu pœnarum, quæ infliguntur in hac vitâ, dari: unde licet quis impatienter morbum aut aliud flagellum à Deo pro peccatis immisissum ferat, adhuc tamen satis-patitur, seu solvit quod debet, etsi per suam impatientiam peccet, & novam pœnam, vel in hac vel sequenti vitâ patiendam mereatur. Quando autem Concilium Tridentinum requirit patientiam in tolerandis pœnis à Deo immisissis, sermo est de satisfactiõne, idque ad redimendum pœnam in alterâ vitâ persolvendam. Unde licet de factò animæ in purgatorio summâ cum patientiâ & resignatione pœnas illas ferant, si tamen aliter facerent, adhuc satis-paterentur, quia nimirum quod ibi fit, fit per modum solutionis puræ, ut scilicet tantum solvant, quantum debent, quo soluto sunt ab illo onere immunes.

X. *Hinc dicunt aliqui, peccatum veniale conjunctum mortali, perpetuò in inferno puniri.*

Hinc ulterius inferunt aliqui, peccatum veniale, cum semper maneat in inferno conjunctum cum mortali, perpetuò etiam cum illo puniri, non quòd mereatur pœnam æternam, sed quòd per accidens hoc contingat. Sicut si quis ob debitum pecuniarium conjiciatur in carcerem, donec pecuniam illam solvat, & aliunde ob aliud delictum privetur omnibus bonis, hic per accidens perpetuò detinetur in carcere, ubi carcer debetur per se debito pecuniario, perpetuitas autem per accidens, quod scilicet aliunde reddatur impotens ad solvendum: sic pœna illa debetur peccato veniali per se, perpetuitas per accidens, quia privatur peccator per peccatum mortale omni auxilio & congruâ cogitatione ad resurgendum. Quare dici posse videtur, peccatum veniale, si conjungatur cum mortali, mereri per accidens puniri pœnâ æternâ, in quo tamen sufficienter distinguitur à mortali, quod non per accidens, sed per se petit illam pœnam, cum sit ab intrinseco irreparabile.

XI. *Affirmans nonnulli peccatum veniale pœnâ levissimâ per totam æternitatem esse puniendum.*

Aliqui tamen dicunt, peccatum veniale puniri in inferno æternâ pœnâ, adeo levi & remissâ, ut non superet in æstimatione morali pœnam aliquot dierum, vel saltem annorum, quâ puniendum fuisset sine mortali: sicut enim aliqua delictatio temporalis potest esse adeo perfecta, ut superet in æstimatione morali, & expetibilitate aliquam æternam, ut visio Dei per mille annos visionem prati æterni per æternitatem, ita è contrario philosophantur de pœnâ.

XII. *Quid si postquam peccata mortalia vel venialia remittuntur, aliud peccatum mortale committatur.*

Hæc inquam, licet ita sint de peccato veniali conjuncto finaliter cum mortali, inferunt tamen nonnulli, & videtur mens Divi Thomæ in quarto, dist. 22. quæst. 1. art. primo, si vel peccata venialia, vel etiam mortalia remittantur, ita tamen, ut aliqua pœna temporalis remaneat solvenda, & quis in morte postea commisso decedat, inferunt inquam hanc pœnam posse in inferno per satisfactiõnem puniri; jam enim solvit quantum debet. Quòd autem patienter vel impatienter pœnam illam ferat, nil refert, ut de pœnis in hac vitâ inflictis diximus præcisè respectu earum, quæ ferendæ in hac vitâ pro peccatis inferuntur: cum ergo similiter in inferno is persolverit omnem pœnam taxatam, nil restat amplius solvendum.

XIII. *Possitne quis pro alio satisfacere.*

Quæres septimò: Utrum possit quis pro alio satisfacere? Respondetur: Licet hoc pendeat præcisè ex voluntate Dei, qui, ut potest has vel illas pœnas ex Justitiâ suâ vindicativâ in punitionem peccati statueret, ita etiam ab ipsâ personâ delinquente satisfactiõnem, si velit exigere:

unde sicut quantumcunque quis in se suscipiat alias pœnas quàm quæ à Deo sunt taxatæ, non tamen satisfaceret, ita nec si alius pro illo pœnam luat, satis foret ut illo à pœnâ eximatur. Nihilominus si Deus velit acceptare satisfactiõnem alterius, puto posse eum pro illo satisfacere.

Nec urget quod objiciunt aliqui, non posse unum pro alio mereri gratiam & gloriam, ergo nec satisfacere pro pœnâ temporali; primò enim in tractatu de Incarnatione, disput. 43. sect. primâ ostendi, posse unum alteri divinitus saltem mereri de condigno gratiam & gloriam. Deinde lata est disparitas; si enim quis mereatur alteri gratiam & gloriam, debet privare se illo præmio, inordinata autem Charitas videtur, ut quis se præmio illo æterno, & substantiali privet in gratiam alterius, quod verò privet se bono aliquo temporali, nil incommodi, cum totum præmium substantiale debitum illi actui habeat, imò illud auget, & frequenter potest nulla propria restare pœna, pro quâ debeat satisfacere, quare tunc saltem, sicut dicuntur satisfactiões illæ superabundantes reponi in thesauris Ecclesiæ, ita & sufficere possunt pro alio, si illi ex intentione satisfaciõnis, & Dei voluntate applicentur.

Ut autem satisfactio unius profit alteri, debet ille pro quo offertur, esse in gratiâ: sicut enim non potest satisfactio illius, qui non est in gratiâ, prodesse ipsimet satisfaciõni, ita nec alterius satisfactio eidem prodesse potest. Dices: Secundum prius dicta, pœna temporalis pro peccatis tum venialibus tum mortalibus relicta persolvitur in inferno, ergo pro damnatis poterit quis offerre satisfactiõnem, saltem pro pœnâ peccatis remissis debitâ. Nego consequentiam: Primò quia non spectant ad communionem Sanctorum, quare sicut nihil illis prodest per modum impetrationis, ita multo minus per modum satisfaciõnis prodesse potest. Deinde sunt in ejusmodi statu, in quo non est locus amplius ulli misericordiæ: unde Deus non vult pro iis acceptare satisfactiõnem alterius, hæc hanc iis gratiam præstare, sed exigere solutionem usque ad ultimum quadrantem.

SECTIO TERTIA. De Satisfactione Sacramentali.

SATISFACTIO sacramentalis illa est, quæ à Sacerdote pœnitenti injungitur, quam supra ostendimus, esse partem hujus Sacramenti, non essentialiam, sed tantum accidentalem.

Prima itaque difficultas circa satisfactiõnem sacramentalem est, quem effectum habeat? De duobus præcipuè est sermo, nempe de remissionem pœnæ temporalis, & de gratiâ habituali. Quoad primum, communis sententia Theologorum, quos refert & sequitur Suarez hic, disput. 38. sectione secundâ, Vasquez quæst. 94. art. secundo, dub. quinto, Henriquez lib. quinto, cap. vigesimo, num. septimo, Coninck disput. decimâ, dub. decimo, & alii, ait pœnitentiam sacramentalem à Sacerdote injunctam, ubi expletur, tollere ex opere operato pœnam temporalem, non ita ut aliqui volunt, quod quævis minima pœnitentia tollat omnem pœnam; hoc enim omnino improbat, ille esse ait Coninck citatus numero nonagesimo, & Suarez num. sexto asserit, voluntariè & sine fundamento dici, cum in hoc

XIV. *Dices: Non posse unum alteri mereri, ergo nec pro alio satisfacere.*

XV. *Si satisfactio profit alteri, debet in eum applicari, esse in gratiâ.*

I. *Quid nominem satisfactiõnis sacramentalis intelligatur.*

II. *Quem effectum habeat satisfactio sacramentalis.*

justitia proportionem & æqualitatem servare debeat Sacerdos constitutus à Deo iudex in hoc negotio, non Dominus, æquitas autem iudicii postulat, ut pro pluribus & gravioribus delictis, major injungatur pœnitentia. Quantumvis verò parva injungatur satisfactio, semper habet aliquid effectum ex opere operato. Unde est quædam pœnitentia sufficiens ad omnem pœnam auferendam, quædam superabundans, quædam deficiens, licet non omnino delituta omni effectum.

III. Quoad secundum, de gratiâ habituali docet Suarez sectione secundâ, Pœnitentiam sacramentalem implere conferre gratiam habitualementem, citatque pro se Caietanum & Sotum. Contraria tamen sententia videtur probabilior, quam tenet Coninck disp. 10. dub. decimo, num. 9. & alii, & supponit Valquez quæst. 94. art. secundum, dub. primo. Ratio est, quia aliqui quisquis in mortali pœnitentiam implet, peccaret mortaliter ponens obicem gratiæ, sicut ob eandem rationem peccat mortaliter quisquis in mortali recipit Eucharistiam, aut aliud Sacramentum vivorum, imo & qui sciens ponit sufficientiam ad valorem non ad fructum Baptismi & Pœnitentiæ, sicque illi, quibus Pœnitentia per longum tempus exponitur, tenerentur sub mortali se conservare toto eo tempore in gratiâ, vel toties se de novo ponere in gratiâ, quoties pœnitentiam explent: unde Suarez disp. 38. sect. 8. sine ob hoc argumentum ait, hunc effectum collationis gratiæ per satisfactionem, esse valde incertum, & probabiliter negari posse vel ob hoc ipsum, ne scilicet tantum onus homini imponatur.

IV. Objicies primò cum Suario citato: Si satisfactio peracta fuisset ante absolutionem auferret gratiam, ergo & post absolutionem expleta. Secundò est pars Sacramenti secundum Concilia, ergo debet conferre gratiam: tertio orat Sacerdos ut quicquid boni fecerit pœnitens fiat in augmentum gratiæ: quartò Sanctum Thomam.

V. Ad primum consequentia negatur; id enim fit ratione melioris dispositionis, non quia pars Sacramenti, quod & de aliis bonis actibus sacramentalem absolutionem subsequenter fatentur omnes.

VI. Ad secundum negatur etiam consequentia; solum enim est pars integralis, hæc autem non semper sortitur eandem naturam cum toto vel partibus essentialibus, ut sanguis, unguis, & capilli in homine, qui secundum probabilem sententiam non informantur animâ, saltem rationali. Idem est de formis brutorum, quæ si habeant partes, habent heterogeneas. Clarius autem hoc constat in rebus artificialibus, aut ex institutione, qualia sunt Sacramenta; nec enim omnes partes domus aut navis fortiuntur eandem naturam. Sic satisfactio licet non conferat gratiam, complet tamen illud & perficit quod gratiam confert, nam juxta Concilium Tridentinum sessione decimâ quartâ, capite tertio, in tantum satisfactio est pars Sacramenti Pœnitentiæ, in quantum ex Dei institutione ad plenam & perfectam peccatorum remissionem requiritur, ad hoc autem sufficit si pœnam remittat, quâ non penitus remissâ, non censetur peccatum plenè & perfectè remitti, saltem quoad aliquem illius effectum.

VII. Ad tertium etiam orat Sacerdos ut merita Beatorum Virginis & omnium Sanctorum sint in remissionem peccatorum, & augmentum gratiæ: quæ tamen non sunt pars Sacramenti. Solum ergo orat ut ea omnia profint eo modo quo possunt, mediâtè scilicet, impetratoriè, ex opere operantis, &c.

VIII. Ad quartum licet negari non possit, quin S. Thomas tertiâ parte 1. 2. nonagesimâ, art. secundo, ad secundum. obiter affirmare videatur, satisfactionem conferre augmentum gratiæ, cum tamen in quarto, dist. 16. quæst. primâ, art. primo, quæstiunculâ secundâ, ad tertium apertè affirmet contrarium, debet, inquit P. Coninck, secundum eum locum exponi, qui rationi longè conformior est.

IX. Ad clariorem autem intelligentiam S. Thomæ notandum, cum in distinctione citatâ hoc idem argumentum sibi proposuisset, nempe satisfactionem non esse partem Sacramenti, si non conferat gratiam, respondet gratiam conferri ex proposito satisfactionis, licet non conferatur ex satisfactione actuali, vel posse dici partem Sacramenti, quatenus per satisfactionem consequitur pœnitens perfectum effectum gratiæ destruentis peccatum, quia scilicet per satisfactionem liberatur quis penitus à reatu pœnæ, & ab ultimo quasi vinculo peccati. Quidni ergo locum illum tertiæ partis eodem modo explicare poterimus, & dicere Sanctum Thomam solum velle satisfactionem conferre augmentum gratiæ aliquo modo extensivè, id est perficere gratiam secundum quod est deletiva peccati, quia satisfactio tollit quasi reliquias peccati, seu effectum ultimum illius, nempe reatum pœnæ.

X. Secunda difficultas est, quando satisfactio conferat effectum? Inprimis, si impleatur ante absolutionem, sicut antiquitus frequenter fiebat, non habet effectum nisi absolutione positâ, tum quia necdum absolutus est à culpâ, tum quia non est adhuc pars Sacramenti, cum ante absolutionem Sacramentum necdum sit positum, sacramentalis autem satisfactio quod habet, habet virtute clavium.

XI. Quæres: Si satisfactio ponatur quando quis est in statu peccati, utrùm habeat effectum? Mihi videtur probabilius tunc non habere effectum, cum non sit pura satisfactio, sed satisfactio, quæ requirit personam esse gratam Deo. Licet autem impleatur in statu peccati mortalis, postea tamen recedente fictione probabile est reviviscere ad effectum remissionis pœnæ, sicut Sacramentum ipsum reviviscit ad remissionem culpæ.

XII. Tertia difficultas est, Utrùm aliquid merè internum injungi possit pro pœnitentiâ? Videtur non posse, nam ut sit pars Sacramenti, debet esse quid sensibile. Ad hoc tamen dico posse; licet enim per se non sit quid sensibile, sicut nec contritio, sicut tamen ut hæc sit pars essentialis Sacramenti sufficit quòd reddatur sensibile per aliud, nempe per confessionem, sicut corpus Christi per species, ita ut actus internus sit pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, sufficit quòd reddatur sensibilis, vel per confessionem, vel impositionem Sacerdotis. Deinde, cum in foro pœnitentiæ puniantur, non externa tantum peccata, sed etiam merè interna, possunt puniri per pœnam similiter merè internam.

Quædam circa mentionem S. Thomæ de collatione gratiæ per pœnitentiam sacramentalem.

Quid ad argumentum illud respondet S. Thomas, nempe satisfactio non esse partem Sacramenti, si non conferat gratiam.

Quo tempore Sacramentalis satisfactio suam conferat effectum.

Si pœnitentia impleatur in statu peccati mortalis non habet tunc effectum.

Possit quid merè internum injungi pro pœnitentiâ Sacramentali.

Quædam circa mentionem S. Thomæ de collatione gratiæ per pœnitentiam sacramentalem.

Quid ad argumentum illud respondet S. Thomas, nempe satisfactio non esse partem Sacramenti, si non conferat gratiam.

Quo tempore Sacramentalis satisfactio suam conferat effectum.

Si pœnitentia impleatur in statu peccati mortalis non habet tunc effectum.

Possit quid merè internum injungi pro pœnitentiâ Sacramentali.

SECTIO QUARTA.

Alia quadam de Satisfactione Sacramentali.

I. Si in penitentia imponenda per modum præcepti.

QUARTA difficultas: Utrum penitentia imponenda sit per modum præcepti? Posse hoc modo imponi penitentiam, cum Concilium Florentinum & Tridentinum sess. decimâ quartâ, capite nono, doceant satisfactionem sacramentalem esse pœnam impositam arbitrio Sacerdotis, videtur indubitatum. Deinde, cum Sacerdos hic sit iudex, & habeat potestatem ligandi & imponendi penitentias, ut docet Concilium Tridentinum sessione decimâ quartâ, canone decimo quinto, videtur certum posse obligare penitentem. Unde licet possit penitens velle saltem pro venialibus, quæ non tenetur confiteri satisfacere aliis modis, posito tamen quod uti velit beneficio Sacramenti, & se subicere clavibus, debet eo modo satisfacere quo Sacerdoti & Iudici visum fuerit, cujus hoc arbitrio est permisum: quod à fortiori dicendum de mortalibus, quamvis Scotus, Gabriël, Medina, Navarrus, & alii nonnulli videantur dicere contrarium.

II. Confessarius, quando potest, debet injungere penitentiam.

Ulteriùs: Licet quando penitens penitentia capax non est, ut contingit subinde in moribundo, aliàs tamen non potest solum, sed etiam debet Confessarius penitentiam injungere, ne sine causâ mutiletur Sacramentum: quamvis ut docet Suarez sectione tertiâ, numero quarto, quando Confessarius ex ipsâ materiâ confessionis, & signis doloris, colligit penitentem jam pro peccatis satisfecisse, possit eum absolvere, nullâ injunctâ penitentia.

III. Probabile tamen est non esse necessarium semper penitentiam imponere per modum præcepti.

Probabile tamen est, non esse necessarium semper penitentiam imponere per modum præcepti, sed, ubi magis ad bonum penitentis esse perspicuum, posse illam applicare solum per modum consilii, quod si faciat, est actus jurisdictionis, & aliquo modo ligat, quia nimirum non potest consequi ex opere operato remissionem pœnæ per hoc Sacramentum, nisi penitentiam illam expleat, unde etiam satisfactio hoc modo imposita elevatur per claves ad illum effectum præstandum.

IV. Probabilis tamen est, debere penitentiam Sacramentalem imponi per modum præcepti.

Hoc inquam licet sit probabile, probabilius tamen videtur quod docet Vasquez quæst. 94. art. secundo, Coninck disp. decimâ, dubio 8. num. sexagesimo quarto, & alii, nempe debere semper imponi penitentiam per modum præcepti, tum quia docet Concilium Tridentinum sess. 14. capite octavo debere Sacerdotes imponere & injungere satisfactionem penitentibus, quæ voces præceptum sonant, non consilium. Deinde paulo post eodem capite rationem subjungit Concilium, quia claves Sacerdotibus non ad solvendum tantum, sed etiam ad ligandum sunt concessæ: si quis autem dicat Sacerdotem propterea per penitentiam impositam per modum consilii ligare, quia efficit ut si per hoc Sacramentum penitens consequi velit remissionem pœnæ, debeat penitentiam injunctam implere, eodem modo dicere posset ligare Pontificem dum indulgentias aut privilegia aliqua concedit, ut enim quis horum fructum percipiat, debet ea facere, quæ facienda assignantur.

V. Quæ sit obligatio penitentis ad

Circa obligationem penitentis in explendâ penitentia impositâ sub præcepto docet Soto, Suarez disp. 38. sect. 7. num. quinto, Layman

tractatu sexto, cap. decimo quinto, num. septimo, & alii nonnulli, non teneri penitentem per se loquendo sub mortali implere penitentiam, quando injungitur, vel pro peccatis tantum venialibus, vel mortalibus prius subiectis clavibus. Coninck tamen disp. 10. dub. nono, num. octogesimo, Henruez, & alii putant pro venialibus aut mortalibus per Sacramentum prius dimissis posse imponi penitentiam gravem, & gravem oriri obligationem eam implendi.

Si tamen penitentia sit levis, sive imponatur pro mortalibus sive venialibus, docent Auctores communiter non esse obligationem gravem illam adimplendi: unde inquit Coninck loco citato si omittantur tres vel quatuor orationes Dominicæ, sive ea sint tota penitentia injuncta, sive tantum illius pars, erit peccatum solum veniale, ut communiter Doctores fatentur, cum sit materia tantum levis, quæ in omni præcepto excusat à mortali.

Dices, non tenebatur homo ille sub mortali confiteri peccata illa venialia, ergo neque obligari poterit sub mortali ad penitentiam pro iis injunctam adimplendam. Contra: Nec tenebatur ea confiteri sub veniali, & tamen posito quod ea sit confessio, & injungatur penitentia, debet eam explere, saltem sub veniali, ut etiam fatentur contrarii. Contra secundò: Licet non teneatur ea confiteri, nec sub mortali nec veniali, posito tamen quod ea confiteatur, debet ad minimum adferre attritionem de iis, ergo fatendum ab omnibus est ad actionem aliquam liberè positam posse sequi obligationem alterius.

Quinta difficultas est: Utrum possit unus pro alio satisfacere, implendo penitentiam illius sacramentalem. Quoad hoc verior videtur pars negativa, de iis saltem actionibus, quæ sunt illius solum qui ea exercet, ut sunt oratio, jejunium, &c. Eleemofyna enim licet per famulum fiat, est tamen opus Domini. Probatur ex Concilio Florentino in decreto ad Armenos, & Concilio Tridentino sessione decimâ quartâ, capite tertio, & canone quarto, ubi definitur partes materiæ Sacramenti Penitentia esse ipsius penitentis actus, confessionem, contritionem, & satisfactionem, ergo sicut confessio vel contritio alterius non potest esse pars essentialis Sacramenti, per quod penitens absolvitur, sed debet esse confessio & contritio ejusdem, ita nec satisfactio alterius potest esse pars integralis: quod etiam verius videtur, licet permittente Confessario id fiat, aut injungente jejunium, aut aliud hujusmodi disjunctivè ab ipso penitente scilicet vel alio implendum; tunc enim satisfactio penitentis non est jejunium alterius, sed procuratio hujus jejunii à penitente facta, quare posito jejunio alterius liberatur penitens à jejunio, quia jam id fieri curavit quod curare tenebatur.

Unde si penitens reddatur impotens ad implendam penitentiam directè & sine disjunctione sibi impositam, non teneretur curare ut alius illam impleat. Si etiam, ut cum Dominico Soto, Majore, Petro Soto, & aliis notat Vasquez quæst. 94. art. secundo. dub. quarto, num. 1. si quis oblitus sit penitentia, etiam culpabiliter, manet liber ab obligatione eam implendi quamdiu illius recordari non potest, nec Confessarium iterum adire, quod facere teneretur, ut ait Coninck disp. 10. dub. nono, num. octogesimo sexto, si brevi post injunctam penitentiam illius oblivisceretur, & crederet Confessarium adhuc

explendam penitentiam.

VI. Si penitentia sit levis, non obligatur penitens sub mortali eam implere.

VII. Non refert quæ obligatio implendi penitentiam, quod non tenebatur penitens peccata illa confiteri.

VIII. Possit unus pro alio satisfacere.

IX. Si penitens reddatur impotens ad implendam penitentiam, ab illo onera liberatur.

adhuc illius esse memorem, præsertim si pœnitentia gravis sit, non tamen tenetur peccata illa secundo confiteri, ut pœnitentiam pro iis denuo accipiat, sed si oblitio culpabilis fuerit, tenetur culpam illam fateri.

X. Sexta difficultas est: Utrum unus Confessarius possit, auditâ iterum confessione pœnitentis circa eadem peccata, pœnitentiam ab alio injunctam commutare, aut minuere. Negat Soto, Victoria, & alii, quos sequitur Vasquez quæst. 94. art. 2. dub. 3. num. 8. licet contrarium dicat esse probabile. Contraria tamen sententia communis est, & vera, quæ asserit quemvis Sacerdotem habentem jurisdictionem in peccata, ob quæ pœnitenti injuncta fuit ab alio Confessario pœnitentia, posse eam mutare, etiam in minorem, si ita expedire judicet: ita Suarez disp. 38. sect. 10. Coninck disp. 10. dub. 12. num. 100. & alii, ad quod inquirunt, parum refert, utrum Sacerdos ille, qui mutat pœnitentiam, sit superior an inferior ei qui pœnitentiam injunxit, cum respectu illorum peccatorum, in quæ habet jurisdictionem, sit quivis Sacerdos in hoc foro supremus Judex sub Christo.

XI. Probatur hæc sententia, nam quivis Sacerdos in hoc foro habet plenam potestatem respectu eorum peccatorum, in quæ habet jurisdictionem, ergo sicut quia unus Episcopus habet æqualem potestatem præcedenti, potest ei succedens mutare vel mitigare pœnam aliquam ab eo injunctam in quantum erat Episcopus, ita & unus Sacerdos in hoc foro succedens alteri, potest similiter pœnam ab eo hic injunctam mitigare, aut etiam mutare, si bono pœnitentis ita viderit expedire.

XII. Quæres: Utrum si illa peccata vel omnia, vel aliqua erant reservata, possit alius Sacerdos, qui non habuit in illa jurisdictionem mutare pœnitentiam à priori Confessario pro iis injunctam: videtur enim posse, cum in per priorem confessionem remissa sint, & consequenter ablata eorum reservatio: ita opinatur Vasquez citatus, Henriquez lib. quinto de Sacramentis, cap. 22. Navarrus, & alii nonnulli.

XIII. Contrarium tamen videtur probabilius, quod docet Suarez citatus, num. decimo quarto, Coninck num. 101. & alii, nempe non posse inferiorem mutare pœnitentiam à superiore pro peccatis reservatis injunctam. Licet enim, cum jam reservata non sint, inferior habeat plenam in ea potestatem quoad secundam absolutionem, non tamen habet potestatem quoad primam sententiam circa illa prolata; nec enim succedit in eodem tribunali, & consequenter eum sententia præcedens sit superioris ut superioris, non potest circa eam quidquam, per se loquendo mutare inferior.

XIV. Quæres secundo: Utrum ad hoc ut unus Confessarius mutet vel mitiget pœnitentiam ab alio injunctam, opus sit ut illa omnia peccata, pro quibus à priori injuncta est pœnitentia, iterum in confessione alteri aperiat. In primis conveniunt omnes debere hoc fieri in confessione sacramentali, saltem aliquorum peccatorum, cum fiat per potestatem ordinis.

XV. Suarez itaque, Valentia, Sylvester, Soto, Coninck, Layman tract. 6. cap. 15. num. 16. dicunt necessarium esse confessionem eorum peccatorum repetere, quod inquirunt, etiam requi-

ritur, ut idem Sacerdos, qui imposuit, eam mutet nisi intra tale tempus illud faciat, ut adhuc censetur moraliter idem iudicium, nempe intra spatium unius diei, aut circiter, ut vult Soto, & Coninck, aut etiam plurium dierum, ut unius hebdomadæ, ut ait Henriquez: alii demum dicunt, id fieri posse etiam post longum tempus, si Confessarius illorum peccatorum recordetur: sicut enim inquirunt, impletio pœnitentiæ, etiam post longum tempus, potest constitui moraliter unum integrum Sacramentum cum aliis duabus partibus, ita & illius mutatio potest spectare moraliter ad idem iudicium.

Alii tamen & graves Doctores, ut Victoria, Navarrus, Toletus, Sa, Henriquez, Diana, & alii negant necessariam esse confessionem, sed sufficere aiunt, ut cognitio præsentis statu pœnitentis judicet Sacerdos expedire ut pœnitentia mutetur. Imo addunt aliqui, posse saltem Summum Pontificem, non per indulgentias tantum, sed etiam directè per summam potestatem, quam habet in ea quæ aliquo modo pendent à jurisdictione Ecclesiasticâ, & quoad hoc sunt aliquo modo juris humani, quo in genere Pontifex habet plenitudinem potestatis; dicunt; inquam, posse eum absolutè mutare illam pœnitentiam. Hæc autem omnia intelligenda sunt, quando pœnitentia prius injuncta fuit justa; si enim sit injusta, non est opus commutatione, cum nulla sit obligatio illam implendi.

Septima difficultas est: Qualis pœnitentia sit pro peccatis injungenda? Quoad hoc, licet juxta Tridentinum sess. decimâ quartâ, cap. 9. dicatur, satisfactionem imponendam esse arbitrio Sacerdotis, tamen, ut habetur cap. octavo, ejusmodi pœnas injungere debent Confessarii, quas & qualitas criminum & pœnitentium facultas postulat, ne aut indulgentius cum iis agendo alienorum peccatorum participes efficiantur, aut nimis graves pœnitentias imponendo homines à Sacramento deterreant, & subinde ad infernum mittant, eo quod pœnitentiam non impleant.

Æquitas ergo quædam servanda est, ut pro majoribus & pluribus peccatis major injungatur pœnitentia, habitâ tamen semper ratione dispositionis pœnitentis: unde per se loquendo, quo quis melius est per dolorem dispositus, minor injungi poterit. Pro publicis autem peccatis publicæ injungi possunt pœnitentiæ, ut contra Navarrum docent omnes communiter, & olim usurpatum fuit ab Ecclesiâ. Neque hoc est violare sigillum, cum quicquid sit, consentiente & operante pœnitente fiat, & id solum agente, quod jure naturæ tenetur ad auferendum scandalum.

Tandem, quamvis injungi in pœnitentiam à Sacerdote possit opus aliquod, ad quod aliâ pœnitens tenetur, ut jejunare tali die, in quo jejunium præscribit Ecclesia, nihilominus quando absolutè Sacerdos aliquid injungit in determinatè, intelligendum est juxta eorum munem sententiam Doctorum de re aliâ non præceptâ. Quando verò aliquid certo tempore implendum injungitur, debet per se loquendo, si eo die occurrat impedimentum, postea ubi commodè fieri potest, impleri, cum tempus assignari soleat, non ut ei pœnitentia alligetur, sed ne nimium differatur.

peccatorum confessionem esse alteri injunctam.

XVI. Multitamen negant ad mutationem pœnitentiæ requiri ut quis denuo peccata illa confiteatur.

XVII. Qualis pœnitentia sit pro peccatis injungenda.

XVIII. Habenda etiam ratio dispositionis pœnitentis.

XIX. Injungi in pœnitentiam potest opus aliâ præceptum.